LEO BAMBERGICVS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AD REVERENDISSIMVM
ET
ILLVSTRISSIMVM
PRINCIPEM
FRANCISCVM,
EPISCOPVM BAMBERGENSEM,
ET HERBIPOLENSEM,

ODE
EVPHEMETICA.

FRANCISCE *Diuûm cura, Ducum decus,*
Quos inuidentis vim rapidam ſupra
Obliuionis, pallidaq́;
Iura necis, metuente ſolui
Pennâ, ſuperſtes gloria prouehet;
I, perge felix, & facili manu
Admitte delatos honores
Grande pedum, bifidiq́; gemmans

Oſtrum Tiaræ. qui Tibi credidit
Paſcenda dulcis margine RegnitI
Armenta, non ceſſabit æther
Franconicis quoque lætiora
Poſthac viretis reddere germina,
Verniſq́; paßim ſpargere roribus
Colleſq́;, ſubductaſq́; valles,
Et vitreo ſata iuncta Mœno.
Ibunt apricis, Te Duce, paſcuis,
Cœloq́; amico, nec fera toxica
Nocentis herbæ, nec famentum
Sæuitiem metuent luporum,
Greges beati! quos Leo proteget
Non virium expers, non animi minor;
Sed mentis excelſæ, ſed acris,
Nec medios pauidæ ire in hoſtes,
Sed qui decorâ ſeptus aheneum
Virtute pectus, diruat integras
Cum laude victorum cateruas
Indomito metuendus vngue, &,
Vtcunque frendens Tænarus irruat,
Bambergiciſque immittat ouilibus
Lupoſq́; raptores, leaſq́;
E Scythicis catulos cauernis,

Tamen

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Tamen furori cedere neſcius,
Vel per ſiniſtrarum ardua cladium
Speret triumphum, ſeq́ victor
Expediat per acuta pugnæ,
Vires, opesq̂, & conſilium ſuo
Præbente cœlo; nam neque Franconi
Hinc magnus HENRICVS, *nec* OTTO
Indigetes deerunt, Leoni.
Hoc, Magne Princeps, *præſidio potens*
I, perge felix, quò Superûm fauor
Inuitat, *I* Tutela præſens
Franconiæ *mala tanta paſſa.*
Tecum venafrano inclyta termite, &
Conchyliatâ pulcrior in togâ,
Opum alma Tutrix, Artiumq́
PAX *niueis ad amœna* Mœni
Bigis reuiſet littora, & impios
Martis tumultus, & rabiem, & metum,
Irasq́ triſtes, horridæq́
Tetra necis ſimulacra ad-uſque
Procul repôſtos exiget Æſthonas,
Trucesq́ Finnos; ſeclaq́ ferrea in
Saturnium diffinget aurum,
Et vetres reuocabit artes.

Vnà

Vnà redibunt Relligio, & Fides,
Et grata blando nomine Fauſtitas,
Et dulcis Vbertas, nec vltrà
Difficilis dare ſe videndam
Aſtræa terris. iam Tibi Suecicis
Cana expeditus cornua vinculis,
Iugiq́; vix memor pudendi
Regnitius Pater, *ore læto, &*
Infauſta lymphis vota fluentibus
Occurret vltro, & ſuauè ſtrepentium
Per curua riparum virentes
Sternet ouans Reduci tapetas.

In quo omine pergo, & LEONEM Tibi Tuum,

ILLVSTRISSIME PRINCEPS,

(Tuus enim eſt, quem VIRTVS Tuum facit.) ſymbolicis leonibus adumbratum, oculis ſpectandum ſubijcio. Tu tanto honore

DIGNISSIME PRÆSVL,

æquis ſymbolicum LEONEM oculis intuere, &, dum Tuis in ſcenam prodit auſpicijs, ſpecta & faue.

SCENOGRAPHIA
SYMBOLICA.
I.
MAGNITVDINIS
ANIMI.

In RVDOLPHI Habsburgici Cæſaris Leone.

RVDOLPHVS Magnus nomine, animo maior Imperator, inter pereuntis patriæ calamitates, ne qua fortè animum immemorem ſui ferocior eriperet procella, ſic inſcriptum Leonem geſſit:

TV NE CEDE MALIS.

Nunquam MALIS vllis CEDIT LEO, & quem Leoninu animat ſanguis, fert difficilia, vt leuia leniùs ferat. Meritò dum eâdem in charybdi memor ſemper Tibi conſtat animus,

MAGNANIME PRINCEPS,

Ijſdem ornatus ſymbolis ad Te accedit trepidus Leo

& quem latentem corde habet ſenſum, familiari demonſtrat teſſerâ:

TV NE CEDE MALIS.

Crebra quidem grauibus pluit imbribus arma Gradiuus,
Inq́; Tuum mittit plurima tela, caput.
Sed NE CEDE MALIS, *duris licet vndique fatis*
Obruat innocuum ſors inimica gregem.
Crede mihi, propriâ tandem mala ſpontè recedent:
Aut, ſi non cedant, TV NEQVE CEDE MALIS.
Vt CEDENDO *etenim victoria ceditur hoſti,*
Sic MALA VICISSE EST, CEDERE NOLLE MALIS.

II.

FORTITVDINIS ET CLEMENTIÆ.

In MAXIMILIANI Archiducis Auſtriæ Leone.

SVPPLICES AVDIT. FORTIBVS RESISTIT.

AVDIT SVPPLICES, FORTIBVS RESISTIT, contumaces perdit Leo; ſic enim in Circo non vna Romana vidit ætas. magna vis naturæ inter tam contraria eminentis. Non alio ſe, quàm Leonino animo cum ſuis agere,

Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos,

notum omnibus facere volebat Leonem ſuum Archi-x MAXIMILIANVS. Meritò & iam Dvx

DVX ARCHIDVCVM ÆMVLE FRANCISCE,

cùm Leoninus ſe iſte animus Tuus omnibus ex partibus oſtendit, ijſdem diſtinctus inſignibus BAMBERGICVS Leo ad Te venit:

SVPPLICES AVDIT, FORTIBVS RESISTIT,

Maſculus imbellem Leo dedignatur onagrum,
Fortibus obÿciens fortia terga feris:
Supplicibus facilis, tumidos violenter adortus,
Subÿcit indomitis, colla ſuperba, iubis.
Tu quoque FRANCONICÆ *Præſul celeberrime* GENTIS,
Sis facilíſque Tuo, ſis placiduſq́; gregi:
Si Tua magnanimis adhibebis pectora cœptis,
An BAMBERGIACVS *tum Leo verus eris?*

III.

PRVDENTIAE,

In ALMERICI Regis Solymorum Leone

CVm re mutare conſilium, & Fortunæ nonnunquam cedere, prudentis eſſe ſapientes viri ſemper iudicârũt: nam, vt benè Comicus, Animus vereri qui ſcit, ſcit tut aggredi. & Menander: Si prudens ſis, in omnibus fortunatus eris.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Didicerat id vſu ipſo ALMERICVS Rex prudentiſſimus, cùm tempori cedentem Leonem ſuum, lemmate hoc inſignem fecit:

NONNVNQVAM FORTVNÆ CEDENDVM.

Eâdem in ſcholâ eruditus,

PRVDENTISSIME ANTISTES,

& tempori cedere nouiſti, & nunquam ſuccumbere fortunæ. Nihil damus auribus; teſtor in Vbio hoc amphitheatro terrarum orbem, qui prudentiam illam in Te admiratus, dignum PRINCIPE tanto animum ſuſpexit. Vnde denuò Tibi,

LECTISSIME PRÆSVL,

germanæ prudentiæ alumno, dum Fortunam fugiendo vincis, Faſces ſuos tot quaſſata cladibus infortunata BAMBERGA ſummittit. Tu cedentem tempori Leonem, o, qui Principem decet, vultu excipe:

FORTVNÆ CEDENDVM.

Inclytus ergò fugit Solimæi roboris Atlas?
Pulcrior hæc palmis, laureolisq́; fuga eſt.
Scilicet infeſtis SAPIENTER CEDERE FATIS
Qui didicit, ſpondet certa tropæa Leo.

IV.
MODERATIONIS, ET IVSTITIÆ.

In GIDEBERTI Regis Auſtriæ Leone.

VÆ ILLI.

PRocul hinc Zoili mordaces, fraudulenti. procul Phariſaici ſpectatores, qui eam ſolùm, quam vident foris, virtutum imaginem commendant: abſint iactabundi thraſones; non errare, non decipere nouit leoninus GIDEBERTI animus, ſed iuxta illud, Secretum meum mihi, in abſcondito ſibi loquitur:

VÆ ILLI.

nempè, quem feriam. Nondùm tamen iaculatur LEO, ſed dum haſtam remordet, iram refrænat. Sic iraſci peccatis Principem voluit mitiſſimus Princeps, ſed tardè ſuccedere ad vindictam, & iuſtitiæ non obliuiſci, dum recordatur imbecillitatis aliorum.

Iddum in Te experta eſt Carinthia,

MODERATISSIME PRINCEPS,

cùm fluctuanti nauiculæ, Tuo pro Principe ad clauum ſederes, ad Te LEONEM ſuum, moderatione plenam immoderatos in hoſtes vindictam ſpirans mittit.

VÆ ILLI.

Cernis, vt in lentas Leo vertitur Auſtrius iras?
Et plectunt ſpretas vulnera tarda minas?
Hoſtem impunè tulit Tuus hic Leo; væ *tamen* Illi:
Certiùs interimunt tela vibrata diù.

V.

VIGILANTIAE,

In XYSTI Pontificis MAX. Leone.

ADVIGILAT.

VIgilantiam in Principe, Princeps Philoſophorum commendat Plato. & Poëta:

Ardua ſunt cuius commiſſa negotia curæ,
Fac animum vſque habeat ſollicitudo tuum.

Eandem ſibi vigilantiam cùm Principum Princeps Xystvs commendatam vellet, vigilem Leonem ſuum ſic ſignauit;

ADVIGILAT.

Meritò & nos,

VIGILANTISSIME PRÆSVL,

Dum Præſul Præſulem, Pontificem Pontifex imitaris, Bambergico Leoni Tvo ſic inſcribimus:

ADVIGILAT CVSTOS.

Altera defendit, ditem tenet altera gazam
Vngula: num tutæ quas Leo *ſeruat opes?*

N

Non dubito: neque iam Tibi plus, Bamberga *timendum eſt,*
Tuta dehinc vigilax quam Leo *ſeruat, eris.*
Tuta Leone *Tuo; proprio* Leo *robore tutus,*
Et Cvstode *nouo iam mage tutus adhuc.*
O felix Bamberga! *alio num tutior vllo*
Fortaßis poterit grex tuus eſſe Dvce?

VI.

IVSTAE VINDICTAE,

In FRANCISCI Ducis Vrbinatum Leone.

VIndicare qui ſcit in tempore, ſcit regnare. Vindicare nouit in tempore Leo, nec plus animi fouet ad vindicandum, quam virtutis adfert ad exequendum. Hunc in ſe expertus animum Franciscvs, generoſum ſe iniuriarum vindicem ſuo Leone demonſtrauit:

NON DEEST GENEROSO IN PECTORE VIRTVS.

Accurrit,

GENEROSISSIME PRINCEPS,

tot telis petitus, tot laceſſitus iniurijs Leo Tuus, & dum tot malis virtus ægra ſuccumbit, ad Te conuerſus infit:

NON

NON DEEST GENEROSO IN PECTORE VIRTVS.

Cùm ſatis innocuum Bellona bibiſſe cruorem
Viſa erit, & rabidam iam ſaturaſſe famem,
Tandem VIRTVTEM GENEROSO IN PECTORE CLAVSAM
Exſere, & inſonti ſubſidiare gregi;
Indignoq; diu patriam ſub Marte gementem,
Illatumq; DEO *vindica ab hoſte probrum.*
Nec Tibi Virtuti dubiæ, FRANCISCE, *timendum eſt,*
Sat VIRTVTIS *erit, ſi quoque* VIS *ſat erit.*

VII.

LIBERTATIS ET FELICIS OMINIS.

I.

In VLADISLAI Poloniæ Regis Leone.

Bene-auſpicatum Polonis omen fuit VLADISLAÏVS LEO,

VINDICE

gladio priſtinam Hungaris futuram libertatem, Felicioribus fatis, viſo Leone Tuo,

BENE OMINOSE PRINCEPS,

Dicimus:

TE

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

TE VINDICE STABIT

Franconia & Bamberga Tua, viuet, florebit, tantò ſublimior, quantò tot ſub ruinis iacet inferior: vt non immeritò tanti ominis memor Leo, iſtam ferat epigraphen:

TE VINDICE STABIT.

Deſine tela tui iactare minacia regis,
Vltriceſq́ manus, ambitioſe Leo.
Ipſa Tuum virtus iuſſit, FRANCISCE, LEONEM
Dicere: Te stabit vindice *priſca fides.*

VIII.

VIRTVTVM OMNIVM, ET FELICIS OMINIS,

II.

In DAVIDIS Abyſſinorum Regis Leone.

SIC VIRTVS SVADET.

FElicitatis ſuæ, & potentiæ argumenta, fatis annuentibus, tranſmiſiſſe videtur in aulam Tuam, Æthiopica quondam gloriæ Leo oſtentator, conſtantiam, pietatem, fidem, virtuteſque omnes, vt viſo Leone Tuo,

VIRTVOSISSIME PRINCEPS,

& verè augurari liceat, & dicere:

Vexilla fortis præferet
LEO *futurus ſignifer.*
Redux ſuis hortis roſas
LEO *virentes inſeret.*
LEO*qúe vulſos cardines*
Suis reponet poſtibus.
LEONE *tandem libero*
Pacata ſurget Pyramis.

nec tamen hæc è bicipiti Parnaſſo; ſed

SIC VIRTVS SVADET.

Reſtitit eximiæ ſortis celeberrimus augur,
Regis Abyßini, qui tulit arma, LEO.
Auguror: en meritò Tibi nunc BAMBERGICVS *adfert,*
(SIC SVADET VIRTVS) *omina certa* LEO.

IX.

VICTORIAE ET OMINIS FELICIS,

III.

In HENRICI Brunſvvicenſis Ducis victorioſo Leone.

TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

Mbres pluuiaſque, Phœbus; ſerenitas tempeſtatem ſequi-

quitur, buccinas ferales, olea: quod bonum eſt, ſupprimi, non extingui poteſt. Pace partâ, ſuperatis hoſtibus bellent alij, quos intempeſtiuus prouocat ad arma Mauors, aut diſcordibus in Imperio furijs exagitat Erinnys, fœdifragi, turbulenti. Anchiſen magnum audi:

Jmperium terris, animos æquabis Olympo.

Pollicetur hoc Cœlum Tibi,

VICTORIOSE PRINCEPS,

pollicetur animus Tuus, iam pridem capax immortalitatis, ipſamq́ue iam, quam meretur, nominis immortalitatem conſecutus. Quis enim neſcit, ibi eſſe victoriæ & honoris inſignia, vbi ſunt merita virtutis? vt, ſicut benè Romani Honoris & Virtutis ædes gemellas iunctim collocârunt, ità Victoriam, indiuiduam Virtutis comitem domicilium in Te fixuram meritò arbitremur. Vndè non vanus aruſpex Leo Tuus, Franconicum labarum prædaturo vngue attollens occinit:

TANDEM BONA CAVSA TRIVMPHAT.

Tu quoque, Brunſvuici, Leo, *Principis armiger aſta,*
Audiat & plauſus, inclyta Mitra, tuos.
Occinit, & cœlo dabitur prægnante: Trivmphat
Propitio Tandem *Numine* Cavsa Bona.

Sic vouemus, optamus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM FRANCISCVM,

IN CLYPEVM EIVSDEM FRANCONICO-GENTILITIVM.

SI fors vlla pigro via proponatur eunda,
Exclamat ſubitò: trux Leo claudit iter.
Non quia ſit verum, ſed quod piger otia quærens,
Ipſe ſibi varios fingat vbique metus.
Cùm Tibi, Bambergam, dictum eſt, Dux magne vocaris,
Trux Leo, Tu poteras dicere, claudit iter;
Scilicet & rubro ſeptum eſt iter omne Leone,
Quamq́; petis, nigro eſt ſepta Leone domus:
Imò igitur poteras, gemini clauſêre Leones
Hoc iter, inde ruber, dicere, & inde niger.
Nonne ruber Gotico tumefactus colla veneno,
Occupat omne Leo ſanguinolentus iter,
Qui nuper CEV-SVS Erymanthius impete vaſto
Teutonicam paßim depopulatus humum?
Nonne Leo inſedit niger harum extrema viarum,
Et Bambergenſes excubat ante fores?

Illa virum poterant terrere pericula quemuis,
Ne Tibi propoſitas vellet adire vias.
Scilicet iſtorum, Princeps Generoſe, *Leonum*
Ille fugandus erit, iſte domandus erit:
Et, niſi vi magnâ, nec ſe ſinet ille fugari,
Iam ſolitus reliquas ipſe fugare feras.
Et forſan, niſi vi, non ſe ſinet iſte domari:
Noſtra ſed in fumos omina ventus agat.
Cura metum fortaſsè facit: tamen eſt metus ingens
Ne niger *iſte* Leo *non ſit, vt antè fuit.*
Antè quidem, quàm VVandalicâ veniſſet ab Arcto
Ora gerens noſtro fœda cruore Leo,
Cæſaris & Summi, & Summo ſub Cæſare Sacri
Principis aſſuêrat mitia frena pati:
Sed poſtquàm in rabiem hunc egit furiasq́; Leonem,
Iuerat in rabiem, qui furiasq́; Leo,
(Multùm equidem metuo) licet Arcticus ille fugetur,
Iſte noua rurſus arte domandus erit.
Sed quamuis ſit & ille fugandus, & iſte domandus,
Non faciunt vllos ille vel iſte metus.
Si Tibi vis ardens animi, FRANCISCE, *deeſſet,*
Aut à Te Superûm poſſet abeſſe fauor;
Ipſe ego clamarem: quid agis, FRANCISCE*? ruinam*
Viſne Tibi fors arceſſere? viſne alÿs?
Sed modò ſuaſerunt meritò Tibi multa, vocantem
Et perſuaſerunt, vt ſequerere DEVM.

Quaſq́; quidem dotes animi, vel corporis in Te
Prodigus æthereâ fudit ab arce DEVS,
Permittes, imò & cupies, vt Muſa modeſtæ
In Te virtutis conſcia prætereat.
At quantum contra rubrumq́;, nigrumq́; Leonem,
Et Superi atque homines polliceantur opis,
Franconici *dicet* Clypei *mirabile textum:*
Ille Tibi Clypeus vndique ſpondet opem,
Cæſaris *imprimis; ſub cuius nempè* Coronâ
Omnia, quæ Clypeus continet, eſſe vides.
Omnia quippè vides ſub Cæſaris *eſſe* Coronâ,
Quæ Bamberga *Tibi, quæ dedit* Herbipolis,
Et quæ ſtemma *dedit* Patrium. *dum* Cæſaris *ergò*
Orbe in Germano ſalua corona *manet,*
Et Tibi ſalua manent, quæ vel Tibi ſtemma paternum,
Vel Bamberga *dedit, vel dedit* Herbipolis.
Hæc humana tamen fragili pendentia filo
Sunt, fateor, certâ ni DEVS *adſit ope.*
Nunc autem, FRANCISCE, *vides, vt ſub* Crucis almæ,
Atque adeò æterni Numinis auxilio
Non ea duntaxat lateant, quæ ſtemma paternum,
Vel Bamberga *Tibi, vel dedit* Herbipolis;
Verùm adeò ipſa etiam ſub Numinis, & Crucis vmbrâ
Imperij *lateat ſacra* Corona *ſacri.*
Euge igitur, FRANCISCE, *ſoloq́; poloq́; fauente,*
Cæſaris auſpicijs, auſpicijſq́; Dei,

Vade fugare rubrum *Germano ex orbe* Leonem,
Et, ſi opus eſt, quod non ſpero, domare nigrum.

LEO BAMBERGENSIS.

Cur Bambergiacus villis Leo *pingitur atris?*
Cæſareæ *non vult diſcolor eſſe* Aquilæ.

TRABES.

Cum quodam mihi ſermo fuit de Principe nuper,
Ille breui, dixi, bis trabeatus *erit.*
Tunc tacuit, ſed heri, bis *nunc, ait, eſt* trabeatus;
In clypeo binas *conſpicor* ecce trabes.

FLORES HATSFELDICI.

Iam dudum meditor, bis terni quid ſibi Flores
Principis in clypeo, *Lector amice, velint:*
Sæpè caput ſcalpſi, roſi vngues, labra momordi,
Iui, hæſi, ſedi, brachia complicui:
Sed quid ſignificent, vel qui ſint denique Flores
Non fuit ingenio fas reperire meo.
Naiadas hinc, Dryadaſq; rogaui, & Oreadas omnes,
Et quas ſpes fuerat poſſe iuuare Deas;
Quid vel ſignificent, vel qui ſint denique Flores,
Noluit vlla mihi dicere, vel nequijt.
Numina Parnaßi, Phœbus, Phœbiq; ſorores,
Non modicâ quamuis ſollicitata prece,
Quid vel ſignificent, vel qui ſint, dicere, Flores
Non voluêre tamen, vel nequiêre mihi.

Atto-

Attonitus ſtabam; tum quidam immurmurat auri:
Sit ſatis hoc vnum ſcire, placent APIBVS.

HERBIPOLIS BAMBERGÆ.

Paſtorem mihi Tu nuper, Bamberga, dediſti,
Nunc Tibi do, dices: Iam ſumus ergò pares.
Non ſumus ergò pares. quo Tu mihi quippè dediſti,
Tempus id optatæ proſperitatis erat:
Et velut ad mea rura volubilis agmine prono
Ex agris præceps labitur vnda Tuis,
Sic res Imperij, res Franconiæq́; fluebant
Sponte ſuâ, nulla præpediente morâ.
Tunc nec opus remo, nec remige, nec fuit aurâ,
Nôrat iter per ſe nare carina ſuum.
Nempè GODEFRIDVS *vento, fluuioq́; ſecundo*
Tranſiit à ſceptris ad mea ſceptra tuis.
FRANCISCVS *verò aduerſo vento, fluuioq́;*
Tranſiit à ſceptris ad tua ſceptra meis.
Tantò ergò is potior GODEFRIDO *erit, æquore quantò*
Maior in irato, quàm labor in placido.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf